

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM
PRIMA
De
NATURA &
CONSTITUTIONE ME-
TAPHYSICÆ;

Quam,
Divinâ annuente Gratiâ,
PRÆSES
M. CHRISTIANUS Grünenberg /

Palæo-Stetinensis,
*Ritè rectèq; philosophantium disquisitioni
submittit*

RESPONDENTE
JOHANN E Freund /

Kamizensi,
Ad d. 5. Decembr.
In Atrio Minor
Horis pomeridianis.

WITTEBERGÆ,

Coll. diss. A
44, 20

LITERIS JOHANN. HAKEN, Anno 1663.

78

a. XLIV. 20.

IN NOMINE IESU
DISPUTATIONUM MATHYSIARUM

MATTHUR A &

CONSTITUTIONE

TALITATE



M. CHRISTIA

ROBERTUS

RECTOR

JOHANNES

RECTOR

RECTOR

RECTOR



IN NOMINE JESU !



Metaphysicam nos obti-

nuit ille, ut, Disciplinam tractaturam aliquam, naturam ejus explicent antè: ne immorigeri audiamus, & ritum hunc temerasse videamur, prodromam Disputatione hac naturam Metaphysicam, pro ingenii nostri acie, aut macie, vivam exprimere imagine, & ad secuturas iter aperire animus est. Ipsa licet Proemia necessaria, solum sint, *necessitate expediendi, non exigentia, nec ad Disciplinarum integritatem, sed ad docentis facilitatem atque discipulis utilitatem* pertineant.

§. 2. Metaphysica est sapientia de ente, quatenus ens est.

§. 3. Definiti vox origine Græca, sed Romanam civitatem donata est; ex *μετα* *Trans*, vel *Post*, nec non Adjectivo, substantive sumto, *φυσικός, η, ον*, *Naturalis*, e, conflata. Quemadmodum & alia non pauca *κτῆσαι* Græca, sed *χρήσαι* Latinae sunt. Hinc bellè, Vatum quisquis cecinit:

*Qui non Græca simul junxit documenta
Latinis,
Hic veri docti nomen habere nequit.*

§. 4. Sed cum non una sit Præpositionis *μετα* significatio, aliquando per *Trans*, haud raro per *Post* explicandæ: operæ non defuturum speramus pretium, si adjecerimus, quomodo utriusque locus hic loci possit esse.

A 2

§. 5. *Trans*

§. 5. Trans-naturalis, sive (ut *ERASMUS* maluit *ROBERTUS* *RAMUS* reddere) Trans-mundana vocari potest objecti ratione, non unius Physicæ, sed omnium sanè Disciplinarum objecta superantis, *essendi vel perfectione & dignitate, vel pradiatione & communitate.*

§. 6. Post-naturalis salutaris potest, non κατὰ τὴν δόξαν ἢ φύσιν; dicitur enim δεχικῶς τῆν, i. e. *metaph.* est que sic prima, honoratissima, nobilissima, Regina, aquila, apex & fastigium scientiarum, cæterisque Disciplinis non dignior tantum, propter objectum dignius; verum etiam prior: quia objectum illius, prioritate naturæ, omnium primum est. Sed dicitur ita, partim γενέσει & *inventione*, quia homines primum τὰ αἰσθητὰ & sensibilia, ex eo que demum τὰ νοητὰ & intelligibilia invenerunt. Unde πολυφύλλον τὸν natum: *Nil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* Partim διδάξει & *institutione*: quandoquidem nonnullorum sententiâ post Physicam discenda docenda que est. Quibus-cum tamen non facimus. Quin potius, si nostrò res arbitriò staret, post instrumentales à Metaphysica Realium s. Principalium fieri initium mallems.

§. 7. Si primam quæris originem ejus, satorem non ipsum agnoscit Philosophum, sed discipulum ejus Theophrastum, nisi Andronicum Rhodium, quem primum collectos Aristotelis libros publici juris fecisse *Rutgerius* autor est. *Lib. 1. Met. c. 1.*

§. 8. Vocatur a. I. ἐξοχηκῶς & per Αἰτιολομασίαν *Philosophia* sine addito. Sicuti enim Athenæ Ἀθήναι, Roma urbs, Aristoteles Philosophus, Virgilius Poëta salutantur, non quòd solis hæc nomina convenient, sed quòd maximè: sic Metaphysica dicitur *Philosophia*, quòd sit Disciplinarum Philosophicarum præstantissima, nobilissimam Philosophiam, tanquam semen arborem, in se continens. Tradit enim axiomata communissima, è quibus inferiorum Disciplinarum enascuntur conclusiones. Tradit terminos communissimos, quibus carere inferiores nequeunt. Præscribit illis objecta sua, aliaque præstat infanda, ut totius Philosophiæ anima, cor, oculus, imò *Philosophia* sine additò meritò audiat; non quod ipsa sit *Philosophia*,
sed

sed quòd sine ipsa non fit Philosophia. II. *Philosophia prima* h. e. *Sapientia prima*. Ut compositum sit pro simplici, & Philosophia pro Sophia. III. *Theologia*, & cum addito, *Naturalis*; scil. *συνεκδοχικῶς*: quia aliqua sui parte de Deo agit; non verò, quasi adæquatum ejus objectum sit Deus. Dicitur *Theologia*, non hoc sensu, quasi omnia, quæ de Deo cognosci possunt, tradat (utiq; enim, quod Deus sit trinus, quòd redimat, quòd mittat filium, quòd sanctificet per Sacramenta &c. nulla *Philosophia* pars docet) sed, quòd de Deo agat, quoad ea, quæ sunt intra *sphaeram naturalis intellectus*, sive luminis. Scheibl. lib. I. c. I. n. 7. IV. *Prudentia*. Quemadmodum enim *Practicarum prudentia*, sic *Theoreticarum Metaphysica* eminet. Et quomodo illæ in agendo sine prudentia, sic hæc in contemplando sine *Metaphysica εὐδαιμονίαν* consequi nequeunt. V. *Ὀντολογία*, ab objecto: prout solent *Disciplinæ* ab objectis denominari suis.

§. 9. *Onomatologiam* haut immeritò excipit *πραγματολογία* & definiti explicatio, in quâ uterque conceptus pòderandus venit.

§. 10. *Conceptus contrahibilis* (quod nomen *Generi* faciunt) non *Scientia*, nedum *Ars* nobis est; secus quàm aliis placeat: sed *Sapientia*, eaque non prima, sed ab hac atque secundâ abstracta, seu, ut sic & signatè. Quæ res jam olim plures fatigavit, fatigans hodieque. Nos aliorum hîc possemus abuti operâ; ne verò nihil ad divisionem quæstionis difficillimæ conferamus, nostram de eâ mentem *impraesentiarum* nulli dissimulabimus.

§. 11. Quod igitur ad eorum attinet opinionem, quibus *Ars Metaphysicæ* genus visa est: hos agmine factò tantum non omnes invadunt. Nos sortem hominum, deploratam admodum, dolemus: siquidem nisi à morbò sententia illa profecta esse nequit. Nam quomodocunque *Artem* accipiant, sensu sive *Ramæo*, pro *Systemate præceptorum*, *exercitatione comprobatorum*, ad finem in vitâ utilem; sive *Peripateticò*, pro habitu cum recta ratione effectivo; non potest genus *Metaphysicæ* cõstitui. *Ramæa* certè descriptione omnes *Disciplinæ Artes* esse

necesse est. Ne dicamus, Disciplinis accidere solum systematicas illarum tractationes: sed Genus speciebus essentielle est. Peripateticò seu Aristotelicò sensu nec volam nec vestigium artis in Metaphysica invenire licet. Illa tota ἐπιπραγματική, hæc tota θεωρητική: illa nequit esse sine hac, hæc non potest esse cum illa: hæc magistrat, sed illa ministrat. Quicquid ergo Timplerus de arte parùm doctè disputat, abundantissimè, credimus, profligatum est. Quare aphorismum hunc hoc epiphonemate claudimus: Metaphysica Ars est Cerberus, Chimæra συδνηρόζυλον, monstrum, contradictio, nihil.

§. 12. Sed illæ sententiæ politiolem limam merentur, quibus vel Scientia, vel Sapiencia Metaphysicæ genus ita dubiè constitui videtur, ut desperare concordiam possis. Alteram esse tam certum, quàm incertum est, utra sit. Sive enim auctoritatem suspicere, sive rationes attendere partiū velimus, queri licet: *Hic crucem Jupiter fixit.* Nemo tamen non veritate hodogetā mavolet, quàm auctoritate incedere, & rationes æstimare quàm symmachos & complices numerare. Quamvis licet a omnibus ac singulis rationibus vix ac ne vix simus: quia in. turpe est τῆς ἡμέρας (ἡμέρας) ἀμαρτάνειν, seu in limine impingere; temeritati frænis injectis, ne ultra crepidam sapiamus, ignaviæ solum calcar subdere & de gravissimis quæstionè sumere animum induximas: confisi, quemlibet in hac re optimè (ἀβασκάντως) iri informatum, si non perforatò animò hauriat, quæ dicturi sumus.

§. 13. Ut igitur nostri periculum faciamus, toti in eâ sumus sententiâ, non tam controverti, *Quid sit Metaphysica?* quàm, *Quid Scientia Sapienciaq; sint?* De naturâ etenim Metaphysicæ ipsâ aut parum, aut nihil absentiunt mutuò. Fidentur esse habitum, eumque animi, eumque principalem: sed practicam esse, artem esse, intelligentiam esse, prudentiam esse negant. Tam beatis autem esse non licet, ut de Scientia & Sapiencia una eorum sit sententia. Illinc Scientiam, hinc Sapienciam esse probatur. Illinc permittitur esse Sapienciam, sed quomodo ensis est gladius: hinc amplius asseritur esse Sapien-

prien-

pientiam, quemadmodum homo animal est, h. e. *definitivè*. U-
 tunc negatur unâ plures esse Sapientiæ species, ut Metaphysica
 ἡ ἰσότης & Sapiencia, sive prima, sive absolutè, sint ἡ ἰσότης ἀμείβουσα,
 πολυώνυμα s. Synonyma Grammatica: hinc datur manibus pe-
 dibusque, datûr opera, moliuntur omnia, ut probetur, primæ &
 secundæ sapientiæ fieri in libris Aristoteleis mentionē, quò lice-
 at abstraherè ab utrâq; , ut habeatur Sapiētia in ideâ, sive ut sic.
 Quare eluminatû esse oportet, quotus non videt, cardinē con-
 troversie in hoc maximè verti: *Quid sit Scientia? Quid Sapien-*
tia? vel: *An in libris Aristoteleis primæ secundæq; sapientiæ*
monstrentur vestigia? ubi tum certò erit certius, dari Sapien-
 tiam ab utrâque abstractam. Quanquam enim erui ex ijs-
 dem posset etiam discrimen inter Scientiam *παχυλῶς*, κατὰ
χρησικῶς s. *abusivè*, & *κυριολεκτικῶς* s. *propriè* acceptam: illud ac-
 tendendû minimè esset. Quandoquidē abusiva terminorum ac-
 ceptio curæ nostræ non est. Quia igitur omne quæstionis filû in-
 de ducitur, *An detur Sapiencia abstracta?* Veras Scientiæ ac Sapi-
 entiæ definitiones proferemus, & insimul ostendemus, dari pri-
 mâ, dari secundâ sapiencias. Ex quo tum suapte sponte sequi-
 tur: Dari Sapienciam in ideâ, sive ut sic. Atque hæc omninò a-
 genda nobis incumbere videntur, anteqz am ad ipsa rerum
 cubilia, & γένος IV Generis accedere liceat.

§. 14. Quantum igitur ad veras Scientiæ Sapienciæque
 definitiones attinet, haudquaquam acceptandæ sunt, quas al-
 terutra controvertentium pars pro veris agnoscit; siquidem
 hōc pactò nunquam litis finem promittere nobis possemus: sed
 quæ ex libris Aristoteleis, tanquam vetustissimis, eruntur.
 Quia enim ipse quoque Metaphysicam per Scientiam definitam
 reliquit, non contra Scheiblerum ejusque Sectatores solum,
 sed cōtra ipsam quoque disputatur. Quare in eâ significatione
 termini sumendi & servandi sunt, quâ ab illò accepimus, aut
 malè contra eū, & parum frugiferè contra illos disputabitur;
 Disputaturos nãq; terminis convenire necesse est. Scilicet, Ari-
 stoteles per Scientiã definivit Metaphysicã, cōclamatû est à plu-
 ribus; nos v. castris desertis eorū, sapienciã scientiæ succentu-
 ria-

riamus ead; pro genere utimur. Dum igitur profud quisq; ge-
nere certamus, ut paritas armorum sit, quas Primipilus & Pro-
machus eorum Aristoteles nobis Scientiæ sapientiæq; defini-
tiones exhibuerit, illis usuri proprio dissentientes jugulabimus
ense, quos brevi nobis herbam daturus non spes solum nobis,
sed fides est.

§. 15. Sapienciam Philosophus definivit quidem per *Hab-*
bitum, ex mente (inteligencia) & scientia constantem. Magn.
mor. l. i. c. 35. contendens ibidem loci, scientiam esse tantum
de rebus demonstrabilibus. Sed cum 3. Met. 3. Physicam appellet
σοφίαν τίναν, ἀλλ' ἔπρωτον, datam superius definitionem col-
ligimus esse Primæ Sapienciæ; tum, quia definiri aliter nequit;
tum, quia alibi definita non est; tū, quia hæc omniū interpre-
tum sententia est. Accedit, quod expressissimè Metaphysica
vocetur Sapiencia Prima, locis multis: & Physica secunda Phi-
losophia s. Sapiencia 7. Met. II. & 3. Met. 3. Quia igitur Philo-
sophus & Primæ, & Secundæ sapienciæ expressè meminit, tam
certum est, dari sapienciam in idea seu ut sic, quam certum est
esse diem, sole supra Horizontem evedtō. Hæc genus est utrius-
que, primæ s. Metaphysicæ, & secundæ sapienciæ s. Physicæ,
nec potest non esse. Ut igitur omnium eorum, quæ prolixè
hactenus disputata sunt, compendium faciamus, sic argumen-
tamur:

*Quicq; proximè de Metaphysicâ predicatur, predicato latiori
synonymicō, eod; univocō, idud est Metaphysicæ proxi-
mum genus. At qui sapiencia in idea s. ut sic &c. Ergo.*

Major est apodicticæ cohæisionis. Minorem hactenus
probationibus sufficienter instraximus & probavimus, sapien-
tias primam atq; secundam esse species sapienciæ sine connota-
to, quæ synonymicū, licet non univocum illius genus sit. Qua-
re *συμπέρασμα* negari nequit.

§. 16. Verissimæ huic sententiæ quatuor officere viden-
tur: (1) Quod Aristoteles ipse Metaphysicam per scientiam, de-
finiverit. (2) quod omne genus species ad minimum requirat
duas, unâ a. plures sapiencias esse *ἀδύνατον & ἀντιφατικόν* sit.
(3) Quod

(3) Quod Physica videatur dici sapientia secunda æquivocè, nō propriè, sapientia verò propriè, sive prima sive absq; connotato, sit Metaphysicæ synonymum Grammaticum, adeoq; non magis Genus illius, quàm Metaphysica sapientiæ. (4) Quod nostri Dnn. Præceptores Physicam per scientiam, non per sapientiam definiant. Quod ultimum omnium gravissimum videtur. Aut enim sapientia & scientia sunt habitus oppositi, aut distincti solùm. Si illud, genus Physicæ nequit esse scientia. Physica enim vocata fuit species Sapientiæ: sed oppositum per oppositum defini, oppositum opposito subalternari nequit. Si hoc: si, inquam, distincti sunt, aut erunt subalterni, aut diversi sine subalternatione. Si hoc; Genus Physicæ nequit esse Scientia: quia inter Genus & Speciem est subalternatio. Si illud; aut proxima, aut mediata. Si hoc; Physicæ genus in definitione esse nequit scientia: quia non per remotum, sed per proximū genus definimus: Si illud; expirat, quòd Physica sit Sapientia: quia suppositum fuit, Sapientiam & Scientiam esse habitus distinctos. Foret ergo sic aliquid à seipsò diversum. Quod contradictionem olet. Alterum ergò fatendum videtur, aut Physicæ genus non esse Scientiam; aut, Physicam non esse Sapientiam. Ubi tum expirat, quicquid de Synonymia Sapientiæ suprà disputatum fuit. θεῶν τὴν ἀβυσσον ᾠκον. Ut hoc de suo mihi largiatur D. Chrysoströmus ἐν τῆς ἰε-
 ἐρ. 1. 6.

§. 17. Ut igitur id prius diluamus, quod primò locò objectum est, respondemus: Argumentum illud Aristoteli, uon nobis objiciendum esse: Viderit ille, cur id fecerit. Certè, quemadmodum suos quisque patimur manes, & nullius scientia absoluta est: Sic Stagiritis ille, ut in plurimis, ita & hic humani quid haud dubiè passus fuit. Ad secundum verò respondemus: (1) Illud de potentia, non de actu intelligendum esse. Sicuti enim dantur species monadicæ: ita nil vetat genus conservari in una specie. Et novimus, quæ cum uicâ specie cœperint. Sic animalis species sunt homo & brutum: sed fuit aliquando brutum, cum homo non esset. Igitur, si vel ma-

B

ximè

ximè à ctu non nisi unica esset Sapientiæ species, hoc tamen mi-
 nimè nobis obesset. (2) Ostendimus vel adusque nauseam,
 Physicam esse etiam Sapientiæ speciem. Ut taceamus, Theo-
 logiam à Doctissimis haberi pro sapientia. Tertium est peti-
 tio principii; *ἔτι μὲν*, non *δέδομμεν*; dicitur, non probatur.
 Quare neque hōc telō petimur. Imò, si Physica æquivocè
 solum est sapientia secunda; etiam Metaphysica sic tantum erit
 Sapiencia prima. Quomodo enim quid secundum, ita al-
 terum primum est. Ultimum nostrarum partium vix est
 arguere. Tamen paucis respondemus (1) *καθ' ἀνθρώπων* &
 cum aliis: Sapienciam secundam & Scientiam esse Synonyma.
 Quoniam verò hōc modō nodus non expeditur, sed impedi-
 tur; siquidem tum idem per idem definiretur, & Physica sic es-
 set Scientia, quemadmodum ensis est gladius: Igitur *κατ' ἀ-
 λήθειαν* nos respondemus: Sapienciam esse quidem Physicā u-
 niversaliorem synonymicè, sed analogicè solum. Quia igitur
 in Definitionibus adhibemus genera univoca; iccirco Sa-
 pientia Physicæ genus constitui nequit. Scientia verò est uni-
 vocum Physicæ genus. Quod ipsum ut intelligi possit, ad-
 verte: Sapienciam analogicè dici de Sapienciâ primâ atque se-
 cunda: univocè de illâ, analogicè de hac. Sed Sapiencia
 secunda & Scientia sunt Synonyma. Hæc (sapiencia secun-
 da s. Scientia) inter species suas numerat quoque Physicam, de
 quâ dicitur univocè. Sed excipis: Supra affirmatum fuisse,
 quod scientia & secunda sapientia sint Synonyma? ad quod
 respondemus: nos illud negasse ex hypothesi aliorum, qui non
 Sapienciam solum secundam atque scientiam, verum quoque
 Physicam & Sapienciam secundam pro Synonymis habent. Tan-
 tum de Sapiencia.

§. 18. Postquam hōc pactō cum Sapiencia in portu su-
 mus, Scientiæ vela explicanda sunt. Eam l. 1. *magn. mor. c. 3.*
 Philosophus definiit *per habitum demonstrativum*. Igitur Sci-
 entia non erit objecti indemonstrabilis, demonstratione pro-
 priè sic dictâ. At verò Metaphysicæ objectum est hujusmodi,
est indemonstrabile: quoniam ente nihil prius, nihil notius est.
 Demon-

Demonstramus autem ignotiora per notiora. Quia igitur Metaphysica non habet objectum demonstrabile, Scientia non erit. Et tantum de Scientia.

§. 19. Ita ampliter monstravimus : (1) dari Sapientiam primam, dari secundam, dari abstractam. Porro (2) Metaphysicæ genus esse Sapientiam sine connotato. (3) Sapientiam primam esse illius Synonymum. (4) Scientiam ergo ejus genus esse non posse. **QVOD ERAT DEMONSTRANDUM.**

§. 20. Possemus plura addere: sed ut intra campum nostrum & oleas nos contineamus, hæc de vexatissimâ hac controversiâ sufficient.

§. 21. Revocamur hic in memoriam facti alicujus impostoris, qui, Jovis templum ingressus Ammonii, passerem manu gestans, percunctabatur oraculum: Vivumne esset, an mortuum, quod in manibus haberet? necaturus continuo, si vivum dixisset, & vivum dimissurus, si mortuum. Cui oraculum: *Penes te est, inquit, ut vivat, vel moriatur.* Quod si igitur nobiscum quis ex Aristotele noluerit Sapientiam definire, certe nec nostram sententiam debet improbare. Si voluerit ex Aristotele & cum eo de Sapientia sentire, Genus Metaphysicæ erit Sapientia: sed si abnuerit hoc facere aliterque definiverit eam, non erit. Adeoque penes illum erit, Quodnam sit genus Metaphysicæ. Eritque penes nos.

§. 22. Differentiam ab objecto (*ἀντικειμένω* s. *considerationis & tractationis*, quod & *ὑποκειμένου γένος*, *subjectum genus* i. post. 7. 8. dicitur) desumimus. Ab objecto nimirum tum *Materiali*, tum *Formali* h. e. à re consideratâ, & modo considerandi. Utrumque igitur explicandum erit.

§. 23. Sed, heu! quantum in nos oneris rursus devolvimus, quando de *Materiali* quicquam definire aggredimur. Ita tot inter diversas constituti, non destituti, sententias, quæ verior sit, non est nullius diribere. *Funem tamen cum Oebno non torquebimus*, si hic vires periclitemur nostras.

§. 24. Non facimus autem cum illis; qui cum *Averroë*, *Alberto* aliisque Deum solum Metaphysicæ objectum faciunt.

B 2

Tum

Tum, quia singularia nequeunt esse objecta Disciplinarum;
 Tum quia Deus per viam naturæ & principia disciplinaria cog-
 nosci nequit. Ut silentio prætereamus, Disciplina univer-
 salissimæ objectum deberi universalitatis maximæ. Excipi-
 unt (I) *Deum & creaturas non posse unum communem conceptum
 habere.* Sed αὐτὴ μὴ μίρονται ἕδὲν ἕστω αὖτε. Falsò enim
 falsius est, Deum & creaturas non posse unum conceptum pati.
 Quin potius conceptum entis cum quadam perfectione & e-
 minentia Deo servamus. Qui licet non sit genericus, est ta-
 men verè communis & latior, quod ad bonitatem objecti suffi-
 cit. (II) *Deum & creaturas infinitis modis differre; adeoque,
 cum finiti ad infinitum nulla sit proportio, non posse Deum & crea-
 turas unò conceptu comprehendere.* Sed distinguimus inter in-
 finitatem, quæ negat omnem plurium convenientiam; & quæ
 dicit solum infandam unius præ reliquis excellentiam. Quan-
 quam igitur Deus magis sit ens, quàm creaturæ, est tamen verè
 ens, & creaturæ sunt entia, de quibus formare licet conceptum
 synonymicum, non prohibente hoc Dei perfectione. Quia
 magis & minus non variant speciem. (III.) *Metaphysicam
 appellari Theologiam.* Sed vocatur ita synecdochicè ab ob-
 jecto partiali & perfectionis, quod Deus est: quomodo & on-
 tologia salutatur. Quod si igitur Deus illius objectum adæ-
 quatum foret, quia Theologia dicitur: Ens quoque obje-
 ctum ejus adæquatum erit, ob ontologias titulum. Sic
 verò quot essent unius Discipline objecta? λῆξι λήρων.

§. 25. Neque n. eorum arridet opinio, qui solum ens crea-
 rum sufficere putant constituendo Metaphysicæ objecto. Quia
 Disciplina Catholica & universalissima postulat objectum tale.
 Sed ens increatum ad hoc minimè sufficit. Excipiunt: Si
 Deus pertinet ad Metaphysicæ objectum, habebit propria &
 affectiones. Sed nos illud pro absurdo non habemus, nec
 possumus. Quæ enim enti in idea & ut sic competunt eadem
 Deo denegare non debemus. Sicuti igitur ens ut sic caree
 principijs essendi, est unum, verum, bonum, &c. sic quoque
 Deus.

§. 26. De-

§. 16. Deinde III. & illis assensum negamus, qui ens Prædicamentis distributum pro objecto Metaphysico accipiunt. Quæ sententia ne hilum aut pilum à priori differre videtur. Quid enim in Prædicamentis increati, aut creati non in illis est? Quare unâ fideiâ, quod ajunt, duo dealbari parietes, & hujus sententiæ Antistites priori responsione discedere pace possunt suâ.

§. 17. Quamvis-licet (IV) Timplerus objecti terminos proferre ausit, ut complectatur, quicquid quocunque pacto entis nomen habet, reale sive rationis, positivum sive privativum &c. sit: ne illi tamen nos combennones præbeamus. Quia objectum Disciplinæ oportet unum esse. *Ab ejus enim unitate sumitur unitas discipline.* At ens in ordine ad istam rerum farraginem non est aliquid unum, sed dicitur de illis æquivocè, aut per analogiam proportionis, quæ sub æquivocationem reducitur. Æquivocum enim non est unum quid, sed multa. Et proinde, si alicujus scientiæ objectum esset æquivocum, non esset scientia, sed Scientiæ. *Scheibl. lib. c. n. 95.* Sed quid ad hæc Timplerus & complices? Facto, ogganniunt, à nobismet probari, quod verbis tantopere detestemur. Agi enim in nostris Metaphysicis de ente rationis, privativò &c. Verum enim verò distingvendum est inter tractationem directam & indirectam. Hæc, non illâ, ejusmodi entia in ontologiâ explicantur. Per se ad nullam Discipline pertinent: sed ne nulla eorum habeatur cognitio, per accidēs in Metaphysicâ explicantur; Quemadmodum de cœcitate, monstris, &c. in Physica, de Fallaciis in Logicâ, & de vitiis in Ethica agitur. Nec est ut excipiant: debere igitur alibi de illis agi. Si quidem objecta Disciplinarum perennare debent: sed cum neque Deus, neque natura ejusmodi entia æternare voluerint, nihil certi habent, adeoque tractationis & disciplinabilitatis jus perdidērunt.

§. 29. Tandem nec illi vero proximiores sunt, qui V. volunt Metaphysicam ad specialissima quæque sese dimittere, ut pro objecto habeat omne intelligibile, & omnes Discipline particulares sint Metaphysicæ partes. וְהוּא וְהוּא Sic AEGid. I. Met. qu. 22.

Anton. Mirandulanus l. 13. evers. sing. certam. sect. 6. 7. tenuerunt. Quomodo autem opinio hæc constabit? Non nisi *Vulcani cruce, & pede perquam varo.* Quæ pro ea afferri solcant, cum responsionibus, vide sis in *Scheibl. Lib. 1. c. 3. n. 103.* Sed satis vindigestarum, satis *ἡ ἐν ἀμφοτέρωθεν ἀπογυμνῶν* de hac re.

§. 29. Nobis adæquatum Metaphysicæ objectum est Ens, à realibus, positivis, actualibus & per se abstractum, non in pura & pura abstractione, sed cum descensu quodam ad inferiora, donec perveniatur ad aliquid, quod novæ Disciplinæ objectum esse possit. Ita dignum suâ universalitate nanciscitur objectum Metaphysica, nec cæteræ Disciplinæ defraudantur suis.

§. 30. *Formale* s. modum considerandi exprimitur *ly Quatenus.*

§. 31. Tenetur autem terminus ille vel *Reduplicativè*, quando illud, quod reduplicationem immediate sequitur, est ratio adæquata, per quam vel secundum quam Prædicatum Subjecto inest. v. g. Homo *quatenus* homo est rationalis. Petrus, *quatenus* literas callet, est doctus. Vel *Specificativè*, quando non notat causam, ob quam: sed medium, per quod prædicatum Subjecto competit. v. g. Homo, *quatenus* oculos habet, videt. Avis, *quatenus* alata, volat. vid. *Javellum lib. 1. Met. q. 1. B. Scharff. in Theoria Transc. disp. 1. §. 23. seqq. Scheiblerum Lib. 1. c. 1. n. 1. seqq.* Hoc locò sumi dicunt *Reduplicativè*, non *Specificativè*. Sensus enim est: Metaphysica considerat ens, *quatenus* ens, h. e. quatenus essentiam habet. Ubi diffitendum non est, hanc de objecto Metaphysicæ doctrinam difficultatibus haudquaquam carere. Quare nos, paginarum rationem habentes adque alia properantes, de his alios consuli suademus. Quæ autem reliqua & ad naturæ hujus disciplinæ notitiam necessaria putamus paucis explicaturi sumus.

§. 32. *Metaphysica non Theologo solum, sed & Jcto, atq; Medico necessaria est.* Necessitate expediendi, non exigentiæ: *hypotheticâ, non absolutâ: Scilicet, si non perfunctoriam solum*

lūm

lum operam studijs suis impendere, sed profundè & solide do-
 cti esse, thesin nosse & contra antithesin defendere voluerint.
 Nam, ubi desinit Philosophus, incipit Theologus: ubi desinit
 Ethicus & Politicus, incipit Juris: ubi desinit Physicus, inci-
 pit Medicus. Theologorum vix quisquam absentiet.
 Quomodo enim v. g. obtinebit, peccatum originis non esse i-
 psam hominis substantiam, sed accidens: Deum non esse
 causam peccati: imò in S. S. Trinitate tres personas, nec tot
 essentias esse: contra Flacium; Calvinianos; Photinianos; Si
 ignoret, quid sit substantia & accidens, quid causa, quid essen-
 tia vel persona? Quæ omnia Metaphysica, & sola explicat. Jcti
 hoc mihi condonent modò, sibi Politicam & Ethicam necessa-
 rias esse. Sed has nemo distinctè, dignè, & satis discet sine
 cognitione Metaphysicæ. Medici mihi hoc solùm largian-
 tur, sibi Physicam esse perquam necessariam. Tum verò di-
 cant, quâ fiduciâ ausint negare, & Metaphysicam sibi summè
 necessariam esse? Loquimur autem de Theologis, Theologi-
 am adusque novaculæ aciem doctis; non de illis, quos durius
 fatum ad pagos damnavit, ut inter olera herbasque, inter pe-
 cora & rura consenscant, & sacerdotium cum agricultura di-
 vidant. Loquimur de Juris, Legum interpretibus, & Re-
 gum ac Imperatorum Mercuriis: non de Rabulis, in fraudem
 non LL. laudem compositis & aptis. Loquimur de Medicis,
 Galeno juratis Doctoribus, quorum est homines verbis herbis-
 que mederi, qui AEsculapium, Galenum, Hippocratem, Ja-
 pim, Machaona, Melampum Amythaonium, Podalirium, ma-
 gnumque Sennertum Archiatrum imitantur; non de Circum-
 foraneis & ungentorum institoribus.

§. 33. *Partes Metaphysicæ sunt due: Communis & Pro-*
pria. Illa agit de ente abstractò & eis, quæ enti omni compe-
 tunt, sive substantia, sive accidens: Hæc verò agit de ente Spe-
 cialius. Prout ibidem docebitur.

§. 24. Neque hoc obstat ejus universalitati: siquidem
 propria vel communis s. Generalis aliqua ejus pars dicitur
 can-

tantum à communi aut proprio officio , quò in illis partibus
fungitur.

§. 35. Et quanquam aliz etiam Disciplinæ hoc modo di-
vidantur , non tamen sequitur ex eo Disciplinarum identitas:
modò distinguamus inter identitatem nominis , & rei s. appli-
cationis.

SOLI DEO GLORIA.



Coll. diss. A. 44, misc. 20